



Prodit Budapestini, I. Verpeléti-út 22. decies in anno.
Pretium praesolvendi annum est pro Hungaria
3 pengő; pro exteris nationibus 4 pengő.

Megjelenik Budapesten, I. kerület, Verpeléti-út 22.,
tizszer egy évben. Elöfizetési ára évi 3 pengő; kül-
földön 4 pengő.

Per.
Lat
020

Baden Powell-Gillwell

vir illustrissimus¹ Britannus summusque
dux Viam Invenientium,² qui sunt toto
orbe terrarum, a. d. IV. Non. Aug. in urbe
Gödöllő hanc oratio-
nem ad fideles suos
habuit:

«Salvere vos iubeo
fratres, qui ex om-
nibus terrae partibus
in hunc locum con-
venistis. Gaudio sin-
cero video vos om-
nes in terra Hunga-
rorum hospitali. Gu-
bernator summae di-
gnitatis maximo ho-
nore nos prosecutus
est³ et per nos etiam
motus⁴ rationesque⁴
nostras, cum conven-
tum nostrum prae-
sentia sua honoran-
dum esse voluit cum-
que hoc nemus⁵ ad
habenda castra⁶ no-
bis concessit.

Ad agendas grates moneo vos, ut exinde
clamorem tollatis⁷ vexillaque vestra vi-
bretis.⁸

Sed alium quoque
habemus modum,
quo singulares no-
stras gratias gubernato-
ris d. referamus
et qui certe maximi
ab eo aestimabitur.
Vestrae videlicet sunt
partes,⁹ ductores et
pueri, ut probitate
morum generosa¹⁰
demonstretis, quan-
tam aestimationem
benignitatis¹¹ eius
habeatis fiduciae-
que,¹² quae nunc in
vobis collocata est.



¹ lord ² főcserkész
³ megtisztel ⁴ mozgal-
munkat, ügyünket ⁵ park
⁶ táborkozásunk ⁷ céljaira
⁷ üdvírivalgásban tör ki
⁸ lengessétek ⁹ a ti felada-
totok ¹⁰ derék magatar-
tástokkal ¹¹ jóságos érzü-
letét ¹² bizalom,



Gaudebit ille certe, cum videbit vos non solum valetudini serviendi¹³ animique relaxandi¹⁴ causa hic castra fecisse, ut fieri solet alio tempore, sed ob eam rem huc venisse, ut operarii pacis populorum privatas ac proprias¹⁵ amicitias cum fratribus alienigenis¹⁶ iungatis. Sed cavete, perdati tempus, nam fugiunt dies et res non patitur moram.¹⁷ Utimini occasione ad familiaritates contrahendas¹⁸ cum sociis vestris.

Spero vos omnes habere libellos,¹⁹ in quibus diem de die amicorum novorum inscribatis nomina locumque domicilii, ut reversi domum amicitiam commercio²⁰ saltem epistolarum²⁰ colatis²¹ et, si fieri potest, etiam in vicem vos visitare possitis.

Vellem videre omnes gentes vinculis amicitiae verae vivere inter se coniunctas.

Vos, pueri, vos eritis ductores in patria vestra, itaque estote boni amici.

Ad quas necessitudines²² contrahendas oblata nunc vobis occasione uti velim ne cassetis.

Nullus dies praetereat, quin amicos novos quaeratis. Multi vestrum e longinquissimis locis huc venistis. Gratias, quod venistis. Hoc testatur vos probos optimos que esse socios.

Vobis quoque, ductores, gratias refero, quod iniquis his temporibus²³ tot iuvenes apportastis. Commorationem²⁴ vestram iucundissimam hic fore spero. Ite modo spectatum hanc terram, amoenitate locorum miram et imprimis iungite amicitias.»

¹³ az egészség ápolása ¹⁴ felüdülés ¹⁵ személyes
¹⁶ külföldi ¹⁷ nincs elveszteni való idő ¹⁸ barátkozás
¹⁹ notesz, jegyzőkönyvecske ²⁰ levelezés ²¹ ápoljátok
²² baráti kapcsolatok ²³ e nehéz időben ²⁴ itt-tartózkodástok.

Malum consilium est, quod mutari non potest.

★

Ita amicum habeas, posse ut fieri inimicum putes.

Achatius Pauler, philosophiae magister in universitate litterarum Budapestina annum agens quinquagesimum septimum die 29. mensis Iunii ex vita migravit.

Doctissimi viri mors haud insperantibus accidit amicis iisque, apud quos ille in maximo erat honore,¹ cum gravi ac pericoloso morbo affectum insanabilem fuisse omnes iam diu scivissent.

Vir, quem lugemus, Hungaricarum de philosophia litterarum² peritissimus erat cultor, cuius nomen famaque multum³ auctoritate etiam apud exterios viros doctissimos⁴ valebat.⁴

¹ tisztelei ² a magyar bölcséleti irodalom ³ nagy tekintélyben állott ⁴ a külföldi tudományos világ elött.



Vulpes et lupus.

Aliquando vulpes et lupus abierunt una peregrinatum.¹ Ut ambulant, esurire coepi-
runt.

— Audin, vulpes? — ait lupus. — Nunc
venit mihi in mentem loci, ubi saturari²
possimus.

— Ei, ubi est?

— Haud procul inde abest pistrinum.³
Cum hodie mane illic spatiarer,⁴ vidi heram
multas placentas caseatas⁵ coquere atque in
cellam deferre subterraneam.⁶ Eamus illuc
easque comedamus.

Ad pistrinum perveniunt. In cellam de-
gredi parant, sed ostium erat clausum. Ut
locum circumierunt, vulpes animadvertisit
foramen,⁷ per quod ipsi introire possint.
Vulpes cito illabitur. Lupus tam diu vires
contendit, dum ipse quoque introit.

In cella aggrediuntur⁸ placentas edere atque
saturantur. Postremo lupus, qui iam non se
movere poterat, humili prosternitur.

Molitor⁹ eiusque uxor domum eunt et cre-
pitum¹⁰ in cella audiunt.

¹ vándorol ² jóllakik ³ malom ⁴ sétál ⁵ túró
⁶ lepeny ⁷ pince ⁸ lyuk ⁹ hozzájár ¹⁰ molnár ¹⁰ zörgés.

— O mi Deus! — clamiat mulier timore perterrita. — Quid id est?

Molitor fuste¹¹ in manum sumpto ianuam cellae aperit. Simulatque ianua aperta est, vulpes ad foramen assilit et celeriter evadit. Lopus eum sequitur. Item miser ille aufugisset, sed non poterat. Tantum enim ederat, ut in foramine haereret.

Molitor fuste lupum mulcans¹² clamitat:

— Comedesne posthac placentam caseatam?

Tandem lupus difficulter evadit. Ut aegrotus ambulabat, vulpem convenit. Vulpes lupum conspicata vagire¹³ coepit.

— Quid vagis, vulpes? — quaerit lupus.

Quidni¹⁴ vagiam, cum manus mihi pedesque contusi sint?¹⁵ Porta me, frater lupe.

— Quid¹⁶ te portem, cum et ipse male¹⁷ mulcatus sim?

— Tamen porta me, frater lupe.

Lupus vulpem miseratus dicit:

— Agedum, soror vulpes, inscende in tergum meum; ego te portabo.

Vulpes inscendit; utque a lupo portabatur, secum lallat:¹⁸

Verberatus fert non verberatam,
Caput pedesque non contusam.

— Quid ais, soror vulpes?

— Dixi tantum pedes mihi iam non dolere.

Ut vulpes a lupo longius portabatur, iterum lallat:

Verberatus fert non verberatam,
Caput pedesque non contusam.

— Quid ais, soror vulpes?

— Dixi tantum iam ne manus quidem mihi dolere.

Ut a lupo longius portabatur, rursus lallat vulpes:

Verberatus fert non verberatam,
Caput pedesque non contusam.

Audit lupus, quid vulpes cantet et vehementer irascitur, quod ita ludibrio habitus erat.¹⁹ Vulpem apprehensam sic arbori affixit, ut vulpes hodie quoque eiulitet,²⁰ si in mentem ei huius rei venit.

V. Fehér.

¹¹ dorong ¹² elpáhol ¹³ nyöszörög ¹⁴ miért ne?
¹⁵ összetör ¹⁶ hogyan? ¹⁷ alaposan ¹⁸ dúdol ¹⁹ bolonddá tesz ²⁰ jajgat.

Insula viperarum.

Scripsit *Carmen Sylva*; Latine vertit *Georgius Kaul*, dr.

Erat aliquando clarissimus poeta Romanus, cui nomen erat Ovidius. Qui multas fabulas pulchras composuit, atque etiam hodie, post mille nongentos annos, homines arte eius delectantur, quin etiam discipuli carmina eius intellegere discunt. Ovidius, cum esset temporibus Caesaris Augusti, luxuria et lautitia assuetus erat. Dives atque multis admirationi erat et serena quiete scripsit suas «Metamorphoses», id est mutatas formas. Quid tandem commiserit, vel quo facto imperatoris invidiam commoverit, nemo est, qui sciat; id tantum scimus eum esse relegatum in eam terram, quae tunc quidem Moesia vocabatur, posthac autem a multis obtinebatur, donec Dobrogeae¹ nomine in potestatem Turcorum redacta est. Carolus autem, rex Rumaniae, Histrum flumen transgressus Turcis fugatis illam expugnavit. Ibi est oppidum, quod nominatur Custendje sive Constantia, quae Romanorum temporibus appellabatur Tomi.

Eo Ovidius, homo miserrimus, in exsilio profectus est, in loca, quae — horribile dictu! — longissime aberant ab urbe Roma luxuriae plena, in desertum ad mare Euxinum positum, ubi neminem noverat, quin etiam ubi nondum ulli homines erant, sed arenae et paludes — arenae et paludes quoque oculi conspectum ferebant. Praeterea mare semiperna assiduitate affluebat, tam austерum atque iniucundum visu, ut aqua eius imaginem caeli omnino non repercutere videretur. Interdum tempestates nivium orientabantur, quas ille, ut homo Romanus, antea ne cogitatione quidem effinxerat, et aestate solis ardore vertex et lingua exurebantur. Ubi hodie est illud amplissimum deversorium Europaeo more instructum, quod «Carol» nuncupatur, ubi matronae pulcherrime ornatae ambulant militum symphoniis strepentibus auscultatura, ibi pauper ille Ovidius solus et tristis ambulabat; nonnullae casae luteae, nonnulli homines fusci coloris, quorum linguae non erat peritus, rarae arbores, quae ramos aridos super lacunas² male olen-

¹ Dobrudza ² pocsolya.

tes extendebant — ea sola varietas oculis eius occurrebat. Cum putei³ essent perpauci, poeta exsul aquae frigidae haustum pluris aestimare discebat, quam antea optima vina cellis suis deprompta. Homines Romani, qui eo loco versabantur, tales erant, quales antea non sermone, non visu dignatus esset: dubium non est, quin perferre omnino non potuerit et multo prius aegritudine emoriturus fuerit, nisi solacium habuisset. Suum quisque solacium habere debet in vita, sint modo collectanea papilionum⁴ vel sigillorum⁵, vel fenestra flore ornata, vel avis, vel canis, vel musculus, vel aranea. Ovidio nostro erat anguis, lepidissimus anguiculus, qui assidue circum collum vel bracchium eius sinuatus iacebat et cuius vegeti⁶ ocelli tamquam facta miranda ei narrabant. Iam supra demonstravimus eum scripsisse Metamorphoses — etiam ille anguis ei nil nisi forma mutata esse videbatur, fortasse regia virgo magica arte in aliam naturam conversa⁷ et exsul, sicut ipse erat. Tum multas horas animo fingebat, unde venisset sua virgo regia, quam pulchra re vera esset quamque misera, illa nitida Colubra, quam vocabat. Dum sic versatur in cogitationibus, in mare prospiciebat, donec oculis cadentibus leniter obdormiscebatur. Tum mirum somniavit somnium: serpentinam suam subito vocem accepisse et linguam humanam et dulcibus sonis in aurem suam haec insusurrare:

«Veni! Veni! Veni mecum in insulam ad os Histri sitam, quam Insulam viperarum vocant, ibi metamorphoses spectabis!»

(Ad numerum proximum.)

³ kút ⁴ lepkégyüjtemény ⁵ békelyeg ⁶ fürge, vi-dám ⁷ változott.

EXEMPLA CLARORUM VIRORUM

Scipio Africanus censor cum lustrum conderet, scriba ex publicis tabulis sollemni carmine rogavit deos immortales, ut res populi Romani meliores amplioresque reddearent. Quibus auditis Africanus: «Satis — inquit — bona ac magnae sunt; itaque precor, ut eas perpetuo incolumes servent.» In publicis tabulis carmen ad hunc modum

emendari iussit. His deinde verbis censores in condendis lustris usi sunt. (Val. Max.)

*

Bias fuit unus e septem sapientibus. Cum eius patriam, Prianem, hostes cepissent, certi cives fugientes multa de suis rebus secum asportabant. Bias a quodam admonitus, ut idem ipse faceret, «Ego vero — inquit — facio; nam mea omnia mecum porto.» (Cicero.)

EX AUCTORIBUS ROMANIS

Eutropii

Breviarium Historiae Romanae.

Liber septimus.

(Eutropius vixit exeunte saeculo post Christum natum IV. Primum Constantino Magno fuit ab epistulis,¹ deinde, cum Julianus rerum potitus esset ingenitique apparatu Parthis bellum intulisset, expeditioni huius interfuit. Iussu Valentis imperatoris res Romanas ab urbe condita usque ad obitum Ioviniani (p. Chr. n. 364.) per ordinem temporum «brevi narratio ne strictim² colligit addiditque etiam iis, quae in principum vita egregia extiterunt» — ut ipse in praefatione prohibet.³ Exstat eius Breviarium Romanae Historiae in X libros distinctum.⁴ Liber VII. continet historiam Romanam ab interfecto Iulio Caesare ad principatum Domitian*i*.)

CAP. I. Anno Urbis septingentesimo fere ac nono imperfecto Caesare bella civilia reparata sunt.⁵ Percussoribus⁶ enim Caesaris senatus favebat. Antonius consul partium⁷ Caesaris civilibus bellis opprimere eos canabatur. Ergo turbata re publica multa Antonius scelera committens a senatu hostis iudicatus est. Missi ad eum persequendum duo consules, Pansa et Hirtius, et Octavianus adolescens, annos X et VIII natus, Caesaris nepos, quem ille testamento heredem reliquerat et nomen suum ferre iusserat. Hic est, qui postea Augustus est dictus et rerum potitus. Quare profecti contra Antonium tres duces vicerunt eum. Evenit tamen, ut victores consules ambo morentur. Quare tres exercitus uni Caesari Augusto paruerunt.

¹ titkár ² röviden ³ előad ⁴ oszt ⁵ kiujul, újra megkezddődik ⁶ gyilkosainak ⁷ párt.

CAP. II. Fugatus Antonius amisso exercitu confugit ad Lepidum, qui Caesari magister equitum fuerat et tum copias militum grandes habebat. A quo susceptus est.⁸ Mox Lepido operam dante Caesar cum Antonio pacem fecit et quasi vindicaturus patris sui mortem, a quo per testamentum fuerat adoptatus, Romam cum exercitu profectus extorsit,⁹ ut sibi XX. anno consulatus daretur. Senatum proscriptis cum Antonio et Lepido et rem publicam armis tenere coepit. Per hos etiam Cicero orator occisus est multique alii nobiles.

CAP. III. Interea Brutus et Cassius, interfectores Caesaris, ingens bellum moverunt. Erant enim per Macedoniam et Orientem multi exercitus, quos occupaverant. Profecti sunt igitur contra eos Caesar Octavianus Augustus et M. Antonius (remanserat enim ad defendendam Italiam Lepidus). Apud Philippos, Macedoniae urbem, contra eos pugnaverunt. Primo proelio victi sunt Antonius et Caesar, periiit tamen dux nobilitatis Cassius, secundo Brutum et infinitam nobilitatem, quae cum illis bellum gesserat, victimam interfecerunt. Ac sic inter eos divisa est res publica, ut Augustus Hispanias, Gallias et Italiam teneret, Antonius Asiam, Pontum, Orientem. Sed in Italia L. Antonius consul bellum civile commovit, frater eius, qui cum Caesare contra Brutum Cassiumque dimicaverat. Is apud Perusiam, Tusciae civitatem, victus et captus est, neque occisus.

CAP. IV. Interim a Sexto Pompeio, Cn. Pompeii Magni filio, ingens bellum in Sicilia commotum est, iis, qui superfuerant ex partibus Bruti Cassiique, ad eum confluentibus. Bellatum per Caesarem Augustum Octavianum et M. Antonium adversus Sextum Pompeium. Pax postremo convenit.

CAP. V. Eo tempore M. Agrippa in Aquitania rem prospere gessit. Et L. Ventidius Bassus irrumperentes in Syriam Persas tribus proeliis vicit. Pacorum, regis Orodis filium, interfecit eo ipso die, quo olim Orodes, Persarum rex, per ducem Surenam Crassum occiderat. Hic primus de Parthis iustissimum triumphum Romae egit.

CAP. VI. Interim Pompeius pacem rupit et navaliter proelio victus fugiens ad Asiam

interfectus est. Antonius, qui Asiam Orientemque tenebat, repudiata¹⁰ sorore Caesaris Augusti Octaviani, Cleopatram, reginam Aegypti, duxit uxorem. Contra Persas ipse etiam pugnavit. Primis eos proeliis vicit, regrediens tamen fame et pestilentia laboravit et, cum instarent Parthi fugienti, ipse pro victo recessit.

CAP. VII. Hic quoque ingens bellum civile commovit cogente uxore Cleopatra, regina Aegypti, dum cupiditate muliebri optat etiam in urbe regnare. Victor est ab Augusto navaliter pugna clara et illustri apud Actium, qui locus in Epiro est, ex qua fugit in Aegyptum et desperatis rebus, cum omnes ad Augustum transirent, ipse se interemit. Cleopatra sibi aspidem admisit et veneno eius extincta est. Aegyptus per Octavianum Augustum imperio Romano adiecta est praepositusque ei Cn. Cornelius Gallus. Hunc primum Aegyptus Romanum iudicem habuit.

CAP. VIII. Ita bellis toto orbe confectis Octavianus Augustus Romam rediit, XII. anno, quam consul fuerat. Ex eo rem publicam per quadraginta et quatuor annos solus obtinuit. Ante enim XII annis cum Antonio et Lepido tenuerat. Ita ab initio principatus eius usque ad finem LVI anni fuere. Obiit autem LXXVI. anno morte communis in oppido Campaniae Atella. Romae in campo Martio sepultus est, vir, qui non immerito ex maxima parte Deo similis est putatus. Neque enim facile ullus eo aut in bellis felicior fuit aut in pace moderatior. XLIV annis, quibus solus gessit imperium, civilissime vixit, in cunctos liberalissimus, in amicos fidissimus, quos tantis evexit honoribus, ut paene aequaret fastigio suo.¹¹

CAP. IX. Nullo tempore res Romana magis floruit. Nam exceptis civilibus bellis, in quibus invictus fuit, Romano adiecit imperio Aegyptum, Cantabriam, Dalmatiam, saepe ante victimam, sed penitus tunc subactam, Pannoniam, Aquitaniam, Illyricum, Raetiam, Vindelicos et Salassos in Alpibus, omnes Ponti maritimas civitates, in his nobilissimas Bosporum et Panticapaeon. Vicit autem proeliis Dacos. Germanorum ingentes copias

⁸ befogad ⁹ kierőszakol ¹⁰ elutasít, elválik ¹¹ rang, méltóság.

cedidit, ipsos quoque trans Albim fluvium submovit,¹² qui in barbarico longe ultra Rhenum est. Hoc tamen bellum per Drusum privignum suum administravit, sicut per Tiberium, privignum alterum, Pannonicum, quo bello XL milia captivorum ex Germania transtulit et supra ripam Rheni in Gallia collocavit. Armeniam a Parthis recepit. Obsides, quod nulli antea, Persae ei dederunt. Reddiderunt etiam signa Romana, quae Crasso victo ademerant.

CAP. X. Scythae et Indi, quibus antea Romanorum nomen incognitum fuerat, munera et legatos ad eum miserunt. Galatia quoque sub hoc provincia facta est, cum antea regnum fuisse, primusque eam M. Lollius pro praetore administravit. Tanto autem amore etiam apud barbaros fuit, ut reges, populi Romani amici, in honorem eius conderent civitates, quas Caesareas nominarent, sicut in Mauretania a rege Iuba, et in Palaestina, quae nunc urbs est clarissima. Multi autem reges ex regnis suis venerunt, ut ei obsequerentur, et habitu Romano, togati scilicet, ad vehiculum vel equum ipsius cucurrerunt. Moriens Divus appellatus est. Rem publicam beatissimam Tiberio successori reliquit, qui privignus ei, mox gener, postremo adoptione filius fuerat.

¹² üz.

EX ARCHIVO LATINO HUNGARORUM

E Marci Chronicis

de gestis Hungarorum.

De morte Leel et Bulchu capitaneorum.

(Cap. 33.)

Regnante per Alemaniam Corardo Primo, decimo octavo anno Hungari egressi, quibusdam partibus Teutoniae devastatis, cum ad urbem Augustam¹ pervenissent, Urrico² episcopo cum civibus et Sueviae primatibus³ resistentibus, tandem cum Hungari eandem obsiderent civitatem, obstinati nolentes de urbe recedere, missis nunciis ad Corardum memoratum, ut celeriter urbanis succurreret, idem non omisit. Ungaris igitur se incaute circa obsessionem civitatis ingerenti-

bus, Alamanicus et Italicus exercitus illos invasit ex obrupto,⁴ ut si fugere voluissent, non potuissent, ex una parte fluvio Lih, qui illis diebus per canales⁵ mirabiliter inundaverat, impedimentum faciente, ab altero vero exercitibus praedictis circumvallantibus sicut murus, illosque constringentibus. Sic itaque artati ab hostibus, quidam captivati ab eis, aliqui crudeliter sunt necati. In quo loco Leel et Bulchu, illustres capitanei, captivati sunt et ducti coram Caesare. Quos cum Caesar requireret, quare Christianis essent sic crudeles? dicunt: Nos sumus ultio summi Dei, ab ipso vobis in flagellum destinati, tunc enim per vos captivamur et occidimur, cum prosequi vos cessamus. Quibus Imperator: Eligite vobis mortem, quam vultis. Cui Leel ait: Afferatur mihi tuba mea, cum qua primum buccinans, postea haec tibi respondebo. Allataque est tuba ei, et approprians Caesari, cum se ingereret ad buccinandum, ipsum Caesarem sic fortiter in fronte cum tuba fertur percussisse, ut illo solo ictu Imperator moreretur; dixitque ei: Tu praeabis ante me, mihi in alio seculo⁶ eris serviturus. Est namque fides Scythicorum, ut quoscumque viventes occiderent, in alio seculo ipsis servire teneantur. Detentique sunt⁷ sine mora, et Ratisponae⁸ patibulo suffocati.⁹

¹ Augsburg ² Ulrik ³ svábföldi urakkal ⁴ hirten ⁵ patakokkal ⁶ világón ⁷ letartóztatták öket ⁸ Regensburgban ⁹ felakaszt.

Domus aurea.

Ad tabulam Felicis Nabor Latine scripsit Valentinus Fehér.

I. Descriptio aedicandi.¹

Sol lucidus latam vallem Sarni fluminis et Pompeios, oppidum Campaniae florentissimum atque ditissimum splendidis radiis illustrabat.

Editiore loco² oppidi sita erat villa Gavii Rufi, locupletissimi mercatoris, quae quinque annis ante a Teucro, architecto³ Graecorum celeberrimo aedificata erat. Immensis divitiis mercatoris facile effici⁴ potuerat, ut domus quam maximo luxu instrueretur.

¹ épületterv ² magaslat ³ építőmester ⁴ lehetővé válik.



In tota domo omnium pulcherrima atque admirabilissima erat Fulvia, filia Rofi venustissima, quae tum in semita⁵ horti una cum nutrice⁶ Maria ambulans oppidi pulchritudine delectabatur. Quoniam a mari continenter aura frigidior flabat, etiam in aestu iucundissimum erat ibi morari.

— Venitne iam pater meus e curia⁷ — quaerit Fulvia.

— Nondum venit — respondet Maria. — Haud enim ignoras patrem tuum senatu dimisso⁸ in porticu consueuisse sedere, ubi una cum amicis vino indulget.⁹

— Dolendum est, quod hanc malam habet consuetudinem... Quid novi audisti... de Claudia?

— Noli de hac re me interrogare — respondet Maria.

— Ergone denuo malum audisti? Cur non licet mihi scire, quod omnes sciunt? Iubeo, loquere!

— Ergo... fama est patrem tuum in domo Claudiæ totas noctes convivari¹⁰ atque commissari.¹¹ Priusquam autumnus venerit, eam matrimonio secum adiunget.

— Hoc fieri non licet! — clamat Fulvia vehementer. — Indignum!¹² Illa mulier famosa est. Dum ego vivo, limen nostrum non transcendet.

Et Fulvia lacrimare coepit.

— Ne fleveris — ait Maria. — Stude patrem tuum ab hoc inconsiderato facinore prohibere.

— Recte putas¹³ — inquit Fulvia. — Rogabo eum, ut amicitiam¹⁴ istius seminae dimittat.¹⁴

Repente sonitus graduum auditur. Teucer, Graecus architectus appropinquabat, vir annorum fere sexaginta, alta statura, latus umeris.

— Salvere te, Fulvia, iubeo — inquit. — Pater me tuus huc venire iussit.

— Salve — respondet Fulvia cum amico risu. — Estne tibi aliquid a patre mandatum? quoniam volumen¹⁵ in manu tua video.

— Rem tenes¹⁶ — ait architectus. — Oportet me domum aedicare. Haec est descrip-
tio aedicandi.

Et volumen in mensa explicavit.

— Domum? — quaerit Fulvia admirans. — Pater enim tres domos habet Romae, singu-

las Marsalae et Alexandriae, unam Pompeis atque hanc villam. Quorundam¹⁷ nova domus aedificatur?

— Domum tibi, Fulvia, aedicabitur.

— Mihine? At enim nihi satis est haec villa.

— Pater tuus domum tibi donabit eo die, quo tu nubes. Neminem latet procos¹⁸ multos te uxorem sibi poscere, in eis Proculum praefectum et Placidum Priscum, virum divitem Romanum, prisco nobili loco ortum.

— Neutrum eligam. Uterque me amat, sed pecuniae causa.

— Frustrane ergo feci hanc descriptionem aedicandi?

Hoc non dixi. Ubi vis domum aedicare?

Teucer manu collem adversum monstrans respondet:

— Ibi me domum aedicare oportet.

— Ubi habitabit pater meus?

— Hic in villa... una cum futura sua uxore, Claudia.

— Ergone verum est, quod audivi?

Mulier illa profligata¹⁹ ab animo patris me revellere conatur! Illa etiam domum aedicandam excogitavit. Sed explana²⁰ mihi descriptionem.

— Nulla unquam — ait Teucer — fuit in orbe terrarum domus, quae cum hac comparari possit. Pater tuus eam domum auream appellari vult. Domum certe Neronis superabit.

— Equidem hunc splendorem atque luxuriam abhorreo.

— Ideo sic loqueris, quod Christiana es.

— St! Semper me exploratores observant; nolo quisquam cognoscat me esse Christianam. Hanc ob rem procos repudiavi. Volo nubere viro, qui eam religionem sequitur, quam ego et tu sequimur.

— Haec religio — inquit Teucer — est, quasi domus aurea, quae in caelum assurgit. Nondumne domum auream tibi cogitationem finxisti?²¹ In animo tibi eam aedicare debes. Ea est vera et pulcherrima domus aurea, in qua beatitudo et pax habitant.

⁵ ösvény ⁶ dajka ⁷ tanácsosház ⁸ tanácsülés
után ⁹ borozgat ¹⁰ lakomázik ¹¹ dőzsöl ¹² gyalázat!
¹³ igazad van ¹⁴ szakít vkivel ¹⁵ tekeres ¹⁶ ugy van
¹⁷ miért ¹⁸ kérő ¹⁹ gonosz ²⁰ megmagyaráz ²¹ el-
képzeli.

— Recte putas, Teucer — ait Fulvia utramque manum ei porrigens.²² — Ego quoque aedificabo domum auream, quae nunquam corruet.

Teucer, postquam Fulviam rogavit, ut proximo conventui Christianorum in domo sua interesset, discessit.

²² nyujt.



IOCOSA.

Uxor : O rem horribilem ! Ancilla de scalis¹ devoluta² duas costas³ fregit.

Professor : Dicito ei, uxor, si iterum unam fregisset, me eam illico missam facturum⁴ insuperque ei multam damni⁵ subeundam esse.

*

Dic mihi, inquit magister, quod tempus tibi ad poma decerpenda aptissimum videatur ?

Puer : Cum canis alligatus est.

*

— Audistine inter Aemilium et Antonium in circulo⁶ rem ad manum atque rixam venisse ??

— Rem incredibilem, siquidem semper inter se ita coniunctissimi essent, ut disiungi nullo pacto⁸ possent.

— Ita est. Nunc ipsum⁹ sex valentissimos¹⁰ viros ad eos disiungendos accingi¹¹ necesse fuit.

Car. Acs.

¹ lépcső ² legurul ³ borda ⁴ elbocsát ⁵ kártérités ⁶ klub ⁷ összeverekedni ⁸ semmiképpen ⁹ éppen most ¹⁰ markos ¹¹ neki fogni.

Solutiones aenigmatum numeri 10. anni XVII.

I. Omen, Nola, Leda, Malea : LAOMEDON. — II. Series directae : 1. Lucumo, 5. sicut, 6. muti, 8. res, 10. ter, 11. Iris, 13. Ceres, 14. suadeo. — Series libratae : 1. Liber, 2. cum, 3. utut, 4. Osiris, 5. Sirius, 7. teneo, 9. sica, 12. sed.


Aenigmata recte dissolverunt : Ludovicus Bakay, Hadrianus Holájter, Rudolphus Kancz, Marianna Renner. — Praemium Hadriano Holájter sorte obvenit.

AENIGMATA.

I.

In singulis areolis non litterae, sed syllabae sunt ponendae, e. gr. : Ca-bi-ra.

Series directae : 2. urbs in Phrygia, a Mida rege condita et denominata, 4. excolo, exerceo, curo, 5. vestis barbarorum propria. Talis putatur, quam Dalmatae e plebe adhuc gestant,



7. vas vimineum,¹ per quod vinum, lac et alii liquores in aliud vas transmittuntur, 8. unus ex septem Graeciae sapientibus, philosophus Prie naeus, Solonis temporibus vixit, 9. nomen gene rale, quo significantur minutiores ac rotundiores fructus arborum, praesertim silvestrium, ut oleae, lauri, platani etc., 11. sacculus ex aluta,² quo panem gestare mendici solent, 12. qui pre tio rem aliquam utendam aut faciendam dat alteri.

Series libratae : 1. globus aquae in unum collectus (in nominativo casu num. plur.), 2. athleta Crotoniensis, qui tantæ fortitudinis fuit, ut tau rum in Olympico certamine ictu nudæ dextræ occiderit, 3. aër sole carens ex obiectu alicuius corporis, 4. avis domestica, 6. urbs Ponti in confinio Armeniacæ, 10. servus militis a ferendis lignis ad usum militiae sic appellatus, 11. posco, postulo, rogo (in passivo), 13. vir Troianus, co mes Aeneae, qui fertur Capuam condidisse.

¹ vesszöfonadékból készült ² bőr,

II.

Duae naves vi vaporis motae uno tempore¹ proficiscuntur : una Vindobonā, altera Budapesto. Navis a Vindobona soluta² quina vi cina chiliometra per singulas horas facit itineris, altera tantum quina dena, quapropter haec octo horis post in portum Vindobonensem pervehitur, quam illa altera Budapestum. Per quot horas singulae naves locum, quo tendunt,³ capiunt et quot chiliometrorum spatio urbes distant inter se ?

¹ egy időben ² elindult, útrakelt ³ rendeltetési helyükre.

Moderator ephemeridis EUGENIUS FRAY DR.

Budapest, I., Verpeléti-út 22., ad quem epistulae et manuscripta mittantur.

Administratio ibidem.

Sumptibus Societatis Magistrorum Intermedi scholarium Catholicorum. — A Katholikus Középiskolai Tanáregyesület költségén. (Praeses : IOANNES KISPARTI DR., elnök.)